B. N. C.
FIRENZE
1147
26

1147 26

1147
26

1147
26

1147 26

CYROPÆDIA

DICTIO PANEGYRICA
AD

OBITIVM MALASPINIVM

ILLVSTRISS. MARCHIONIS
IO. CHRISTOPHORI F.

PRINCIPEM PRIMVM ACADEMIÆ INFOECVNDORVM

FLORENTIÆ
Apud CLERICOS *Reg. Barnabitas*
ipſo Celebri Renuntiationis die

SERENISS.

LEOPOLDO

PRINCIPI AB HETRVRIA
D. D.

FLORENTIÆ, Typis Amatoris Maſſæ. 1647.
Superiorum Permiſſu.

AI
BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

1147, 26

SERENISSIME PRINCEPS.

ANHELAT benignitatis tuę gremium vix dum enata CYROPÆDIA ipſo Regali nomine animoſa. Renuebat perſuaſus modeſtia Orator plauſibus contentus ciuium, Adoleſcens huiuſce Ciuitatis lectiſſimus, in quo ambigas, vter sãguis illuſtrior, natalium, an pudoris. Sed ego velut parienti obſtetrix audeo promouere fortunam, vt apud te feliciter adoleſcat, digniorem nacta Cyrum, diſertiorem Xenophontem: addo & ſalubrius Cælum, quando Malaſpiniam præſefert habitudinem corporis. Cui enim meliùs innitatur familiæ Regiæ laudatio, quàm vni Principum Hetruriæ noſtrę, hoc eſt nullo minori Magnorum Regum? Sed illa potiore de cauſa, quòd amplitudo Malaſpinia, vt tempore, ſic imperio olim incomprehenſa, vnum nunc veſtrum in patrocinium contracta, compendium facit auguſtius. Tanta illa claritas meridiem veſtra in vmbra nãciſcitur: Regnantq; glorioſiùs eorum poſteri in Aula veſtra Miniſtri, quàm ſuis quondam in Aulis regnantes Ataui. Audiunt hi quidem Annalium voces, Hetruſcas terras Malaſpinio ſceptro paruiſſe. Audiunt Malaſpinios gentiles tractu ſæculorum longiſſimo Magnos Marchiones Hetrurię (vt & Principes ſimul Lunæ, & Caſeronianæ, & Galliæ Subalpinæ, & Liguriæ, qui-

bus illa ſuperſtes hodie propago nobiliſſima, veſtro tamen patrocinio nobilior *Iacobus Marchio Foſdenoui*) neq; verò tranſlato ſceptro dolendum de ſuo caſu putant, ſed gratulandum potiùs Hetruſcis fortunam, & ſibi, quæ nec ijs parére, nec ſibi dominari feliciùs vnquam dederit. Si quidem non eripuit illa Malaſpinijs imperium Hetruriæ, ſed veſtra (Principes) gratia compenſauit pr̨ omni æſtimanda imperio. Præceſſere ſubmittenda veſtro ſceptra illorum inſtar faſcium: Deniq; iuſtè conſtitit multiplici diademate tam nobilis ſeruitus. Tu verò potiſſimùm, Magnanime LEOPOLDE, ambitioſam facis tui complexus Cyropædiam: tu inquam Princeps literatorum, ac literatiſſimus Principum: qui, quantò ad Xenophontæam diuinitatem attolleris propiùs, tantò humaniùs demitteris ad ſubleuandos conatus imbecillium ingeniorum, literarum quẽq; ſtudioſum hoc ipſo tuum reputans Cyrum, quem foueas; nec in eo penſitans auaritiam Naturæ, ſed auſum Virtutis. Ergo accipe ſerenus hoc qualecunque ingenij, non alieni, ſed tui potiùs argumentum: Scilicet quod contemplari Mens tua non habeat, ſed pertractare Benignitas, miniſterio noſtrum, gloria tuum. Florentiæ, in Ædibus noſtris ad Sancti Caroli. Cal. Aug. M.DC.XLVII.

CELSITVDINI TVÆ SERENISS.

Emancipatus
Octauius Boldonius Cler. Reg. Barnabita.

DICTIO.

ADSVM communis interpres (Florentiſſime Adoleſcens) honorarium iſtud ampliſſimum literarij Principatus, nunc primùm in Academia noſtra ſancitum, tibi verò ex omnibus conſpirantiſſima ſuffragatione delatum gratulaturus. Adſum concepta noſtris omnium animis lætitiæ, atq; alacritatis propè incredibilis Teſtis nè dicam, an Index? Iactat quippe illa ſe palam, dedignata latebras mentium, ſecreti pectorum neſcia, vt emergentem vſurpare oculis Tute poſſis. Non habet opus ex mea mutuari fidem oratione, quæ ſuimet Oratrix exiſtit: neque teſtimonium vocis exquirit, quam licet in vniuſcuiuſque fronte, oculis, vultu expreſſam, atq; adeo geſtientem perlegere. Ecquod autem haruſpicium felicitatis apertius, quàm vbi ſincerè adeo, & candidè viuacia promuntur exta deuoti ſuo Principi Ordinis? Sed noſtra ex nobis felicitas portenditur, Princeps; ex te petitur. Nam quòd exultant animi, quòd triumphant, non obſequij tantùm eſt, ſed rationis; non voluntatis, ſed neceſſitatis; non ſtudij, ſed officij. Neque enim frui non poſſumus honoribus tuis, quibuſcum ſimul ipſi honeſtamur; & vbi noſtra corriuatur ex tua ſublimitate ſublimitas. Quærebamus hominem adoleſcentem è noſtro cœtu dignum genere, moribus, literatura, qui præeſſet cum imperio cæteris. Oblatus tu es, quem vota concipere, non polliceri ſpes poterat: in quo minus eſt maiorem extare ſodalibus, quòd te quoq; maior probaris, maxima illa tua decora infra aliena putans genio modeſtiæ:

vt iam non qualem modò habebamus optatum Principem coæuorum, ſed ipſorum quoque per ætates ſequentes inaugurandorum Principum Principem nacti eſſe videamur. O noſtra cumulata gaudia, Sodales: O bonis auibus collata ſuffragia. Quò mihi arctior efficitur hodierna gratulationis prouincia, vt in tantam argumenti dignitatem iubear pumilionē ſtylum meum intrudere. Nam ſi eà ſe nobis attollit fortuna, quà ſua hic Noſter ſtudet ornamenta deprimere: quę poterit afferri digna illo homine gratulatio, qui, quòd meritam laudationem ſpōtè renuit, nullam fore ſuis dignam meritis laudationem probat? Sed patere tu (Modeſtiſſime Adoleſcentum) patere; prædicemur nos impares tuis, vt æmulatione, ita ſermone referendis virtutibus. Perſecuta fuit olim Attica Muſa Xenophon Cyri ſui geſta, qualia ſuggeſſerat amor in Principem; non qualia veritas. Ego eandem relegere viam ſtudebo, ſed veſtigijs aduerſis; vt Principem te noſtrum referam, nō qualem Amor, aut qualem Admiratio (vtroq; te quidē dignum, ſed ille corrumpit mentem, hæc eripit) verùm qualem dictauerit Veritas, & ipſa quidem nuda ex veterum religione, hoc eſt nullis adſcitis artis inuolucris; nullo fuco dictionis quæſito; inaffectata ea prorſus, vti nata eſt, omni ideo affectatione ſuperior, omni nobilior ſplendore verborum, ac panegyrico apparatu. Ita quemadmodum ille Philoſophus veriùs, quàm Hiſtoricus, non qualis fuerat Cyrus, ſed qualis fuerat futurus, expreſſit; abſoluti ſic Ducis typum architectatus, quem poſteri imitarentur, non crederent: Ipſe contrà Principis Academiæ typum proferam abs te factum; non à me fictum; quemq; vix credamus nobis ipſis (adeò omnem

vincis

vincis imitationem) niſi ijdem ipſi, qui nos compotes lucis faciunt oculi, teſtes veritatis præſentes euincant.

Quid igitur? Velle neſcire te ſcio, quod ſcire neſciunt, qui te ignorăt (Malaſpiniæ Princeps) quis orationis noſtræ ſit ſcopus. Etenim quia nemini promptum non eſt illud Rhetorum ſcitum, in homine laudando proludere oportere natalium claritudinem, quæ, cùm tanta in te fulgeat, vna ipſa credi poteſt & viam feciſſe ad iſtum gradum honoris inter ephebos ampliſſimum, & ad alios ætate comite, atq; alios in Rep. ſummos pateſacere; ſimulq; diuitem venam in tuas laudes hodiernæ gratulationi ſuggerere: multo tu altiùs collineas generoſæ indolis ſenſa, vt ſummam laudum eam reputes nobiliſſimus genere adoleſcens, ſi tàm nobilis videare, quàm nō curas videri nobilis. Hæc enimuerò digna Principe vox, qua nobiles alios præ ſe facilè gregarios reddit, et nouo ſuperlationis gradu nobilitatem poſſe fieri nobiliorem teſtatur. Nam quid hoc eſt (ſic tu tacitus quoſdam compellas nebulones) quid hoc eſt, inquis, cur tàm impensè iactitas gentis ſplendorem? Somnias, ſi putas poſſe præterlapſis inniti præſidijs, quorum vix habes euanidas in memoria ſola reliquias. Ineptis, gloriam ſi captas ex non tuis, hoc eſt Maiorū adoreis. Inſanis, per emendicatas aliunde opes tuam ipſius exponens inopiam. Furis, quòd tibi, quæ minimè tua ſunt, audacter vendicas; quòd accepta quaſi ex te parta oſtentas; quòd demetis impudens alieno de labore ſegetem laudis, de virtute brauium, de victoria lauream, honoriſq; illorum occupas partem, quibuſcum nullam partem habueris operæ. Quaſi verò quæ fuere Virtutis in Patribus, non ſint in te

Nepote Fortunæ. Quaſi tu tibi cunabula compoſueris, genus deduxeris, auorum ſeriem ordinaueris, trophæa in illos, & faſces diſtribueris, præcurſor tui, & fati arbiter. Vide, an iſtac nobilior vlla dementia, quàm incurioſum ſuæ de gentilium nobilitate laborare. An quidquam obfuit, quò minus & haberentur nobiles, & celebrarentur, aut Anacharſi obiecta feritas nationis, aut Soſtrato obſcuritas generis, aut Socrati parentum ſordes, quippe qui nihil præſeferebant minus quàm quod ferebant acceptũ? Sua cuiuſq; virtus, ſua probitas claros fecit. Nihil illis à caſu, nihil à fortuna eſt mutuatum. Preſſerunt vnum idem ſolum cum patribus, cælum idem hauſerunt, eodem ſub Ioue editi, iiſdem Larium anguſtijs excepti, iiſdem ſordibus: Vt videas nec ſplendore patrio clareſcere obſcurum moribus hominem, nec clarum violari obſcuritate poſſe, pulchriùſq; emergere medijs è tenebris Maiorum propriæ fulgorem nobilitatis. Luculenter tu hactenus, Princeps, tàm ad gloriam tuam feliciter, quàm ad probrum iſtorum. Sed hæc tacitus (vt dicebam) qua es obſeruantia erga non neminem. Tametſi vocaliùs audiris in Academico iſto Symbolo noſtris nuper oculis expoſito, quàm poſſis vllo exprompto ſermone. Apertiùs arguis perſonatus ad modeſtiã, quàm palam efferens cenſorium ſupercilium. Tonas in ſilente pictura grandiùs, quàm in vibratæ fulmine orationis. Planè dico: Acriùs pungis adſcita Spina è gentilitio inſigni, quàm ſi aculeos omnes artis, omnes incitatæ dictionis mucrones, ac tela contendas. Nam quid aliud tibi vis, Malaſpinie, illo fœdere ingenioſiſſimo inter Naturam, Artemq; ſancito? Quid aliud expreſſo inde cognomine SYLVATICI

Hui' ſymboli ſeu (vulgò) Impreſiæ figura eſt *Roſa inſita Senti Malaſpinij Stemmatis*. Lēma verò *Naturæ fœdus & Artis*.

inter

inter ſodales Academicos? Anne opus habebit ab inſitione ſtemma tuum ornamenta conquirere? Tibine auitus ſylueſcet fundus, ni culturam operoſus adhibeas? Horreſcet dumis, ac ſentibus, ni flores prouideas adſcititios? O mentis Neſtoream canitiem in impubere. O vix monſtratam ſapientiam, iam monſtro ſimilem. Quid enim tua gente, Princeps, Quid (velis, nolis) honeſtius? quid ſplendidius? Noli, amabò, ſuos Phœbo obtrectare fulgores, nec tu iniquè audire, quòd ſanctè prædicant omnes, loquuntur hiſtoriæ, confirmant monumenta, conſentit antiquitas, quorum nulla ferè pagina, nullus apex, nullum veſtigium vacat Malaſpinia gloria. Nomen equidem Gentis minaciſſimum, ſed in hoſtes, atque impios, dignum iccirco inſeri Regijs faſtis, quia triumphantis Regiæ tyrannidis protriuit faſtum, quia Regium pro cunabulis buſtum habuit, quia de ſanguine ſatum eſt Regio, quem iuſtè effudit. Teſtatur ſuo periculo factum Theodobertus Francorum Rex, deteſtatur cauſam Inſubria, barbaro iſtius correpta furore, oppreſſa; Mediolano Regia metropoli cum trecentis ciuium millibus contra ius, faſq; deleta; vnius autem ACCINI tui, legitimi Principis virtute vindicata. Dignum facinus (quis neget?) oriundo ab Romana nobilitate iuuene, qui veterem Sceuolæ ſui famam conſimili auſo renouaret, proſperiore vinceret. Siquidem non ictu deluſus incerto, non ferro præmunitus atq; armis, non fide coniuratorum audax: ſed ſolus iuratus, ſed inermis vndique præter mentem, ſed conſilio ſubitus, quà fortè inter venandum errabat cum Rege (captiuus, heu, iuuenis Princeps) oblata è ſylueſtri rubeto ſpina cuſpidata, ipſum Regem adoritur

Thom. Porcacch hiſt. Malaſp l.3. ſub initium.

Theodobertus alijs Lambert', Frãcis Cherebertus.

Accinus, alijs Actius, vel Azzius alijs Vgus, vel Vgo.

tur importunè ad periculum, opportunè ad vindictam; tentat per aurem vulnus, intentat, enecat, ſempiternum illi ponens monumẽtum ignominiæ, ſibi trophæũ gloriæ, MALASPINA cognomine dedicatus. Ne quis tamen hoc nobiliſſimæ tuæ gentis, etſi cognominis exordium putet. Debent Accino Malaſpinij, debet Accinus ipſe Patribus gloriã cum indole Martialem, MARTIA Romanorum deductus familia in Ancum vſq; Martium Regem IV. relecta. In quo quid eſt, cur ego pluribus laborem? laborat ſatis inuidia noſtri temporis, ſed triumphat induſtria nobilium Scriptorum, quanto noſtro cum plauſu, tanto cum faſtidio tuo, Princeps, qui cordatiſſimo in pectore illud verſas: Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipſi, Vix ea noſtra puto: *Sed & periculosè nimis proferri imagines Maiorum fumoſas, niſi recentium ſimilitudo imaginum in poſteris fidem inueniat. Quare nil tibi penſi eſt, qualem habueris familiæ ſtipitem, ſed qualis ipſe proruperis gemma: non ſi patres claruerint, ſed ſi nepos. Tuum abs te genus repetis, ex te æſtimas, tabulis illius caligantibus daturus lucem, addituturus caliginem. Vſque adeo proprijs ex meritis nobilitatem metiris, vt contumeliæ loco poſueris, id quod alij plerumq; obſequij, ſi quem fortè tuorum conducta ſpecie virtutis commendari, vnde improbari debuiſſet, aduerteris: ſi veluti ſubærato auro vbi cuiuſpiã proſcribenda foret ſuperbia, efferri magnanimitatem videris; vbi ſordes, frugalitatem; vbi luxuria, ſplendorem; vbi liuor, ſeueritatem; vbi audacia, fortitudinem; vbi libido, humanitatem; vbi fraus, prudentiam. Atqui pone de tuis hanc ſolicitudinem, pone metum. Pungat animum alijs, non*

Porcacc. lib. 1.

tui

tui ſimilibus; SPINA domeſtica, quæ vt MALA in perduelles; ita felicitati publicæ nata tot Reges; ac Principes enumerat ſuos, quot vix priuatos homines aliæ familiæ: quæ ab Anco Martio producta (cui Regi Vrbs primam ſuam in conſtructione mœnium tutelam, in fundatione Oſtienſis portus opulentiam acceptam refert) cum ſtudio iuuandæ Reipublicæ in poſteris hereditario Imperium ſimul quaſi patrimonij iure ita longè ac latè fundauit, ita conſtabiliuit per annos amplius mille, vt ipſum tandem fato cogente (vt moris eſt) erciſcundum, atq; alias diſtrahendum in familias, coronandis capitibus multis ſufficeret. Teſtor hic non Ethnicos modò Romæ veteris Conſules, Prætores, Cenſores, Præfectos præclara ea nomina politicæ maieſtatis, quorum ſeriem oblongam proferre magnificè poſſent propagati nobili traduce Malaſpinij gentiles L. Martio Turbone: ſed illos teſtor de genere humano æternùm meritos heroas Chriſtianos in omni fortuna ſpectatiſſimos, quibus nihil habet Inuidia, quòd fremat delatū nouiès Maximum Pontificatum; quo tempore nimirum quærebantur magis illi dignitati homines, quàm hominibus illa dignitas: & cuius purpuram ſacroſanctam Cn. Maximus primus è tuis maiorib' Chriſtianus impenſo viriliter sāguine Chriſti Martyr facile coëmit; Eutichianus filius ritè acceptam probata vitæ ſanctitate tranſmiſit poſteris hereditariam. Hos ego quàm bene in omni fortuna ſpectatiſſimos dixi; quos ſibi fortunandis Chriſtiana ſæcula excepere diuinitùs miſſos? Quorum toties obiecta virtuti nunquam non ceſſit impetu fracto debacchata in Rempublicam fortuna? An verò diſſimulare quis poteſt ſalua pietate publicas voces?

Vide Poccach.

Vobis

Vobis ego Malaſpinij Proceres (ſic enim Italia loquitur) Vobis acceptum refero, quòd ferreum mihi iugum Longobardæ dominationis alleuatum ſenſi Agilulpho Rege Ethnico cum efferata illa natione fidei Chriſtianæ ſubiugato per Ariolphum veſtratem Reginæ vxoris Theodolindæ conſobrinum. Vobis refero (Italia repetit) quòd è Saracenorum fœdiſſima ſeruitute reſpiraui, Ioanne Pont. Max. Malaſpinio, qui conflato bello Imperator ipſe, ac præſens in acie cum gentilibus duobus auxiliarijs Alberico Magno Marchione Etruriæ, & Gulielmo Marchione primo Montisferrati nefariam eam colluuionem, ac peſtem è Chriſtianorum finibus depulſauit. Veſtrum (ſuſcipit Religio) decus eſt, quod ſacroſancta iura mea reſtincto Henrici IV. Cæſaris furore, contuſis armis, non inconcuſſa modò ſtetere, ſed & formidanda poſteris, ampliſſimo Principatu attributo, (id quod vulgò Diui Petri patrimonium) per Mathildem, Magnam Italiæ Comitem, Malaſpinijq; ſtipitis inclytum germen. Veſtrum eſt (Roma deprædicat, Roma illa ſacrarium fidei, propugnaculum Religionis) quòd Gotbis acerrimè oppugnantibus, atq; ad belli fulmen obiectum Belliſarium intrepidis, feroc ientibus, nutantem miſerè fortunam meam, iamq; labentem ſtiti, vno veſtro Perannio recenti Coclite ſubſtituto. A vobis fuit (fatetur ſacrum Romanum Imperium) quòd rebellium Dynaſtarum armis petitum, machinamentis quaſſatum debellatos hoſtes bellicoſiſſimos tandem vidi Bernardum Italiæ Regem, Viomarchum Britanniæ minoris Tyrannum, Conradum Sueuiæ Ducem, Ruggerium Siciliæ Comitem: quæ verò Capita? quæ Monſtra? Sed Alcidis Malaſpinijs nata Ildomundo,

Dominicus Guidius Mellin. lde orig. &c. Mathildis

atq;

atq; Iſuardo. Per vos ego (perſonat Chriſtianus Orbis) anguſtatum barbaricis armis pomœrium meum, Palæſtina erepta, illa Soſpitatoris Dei arena beatiſſima, patefactum recepi Gulielmo Malaſpinio Imperatore, Ieroſolymorum deinde Rege: conſeruatum plauſi Imperatore itidem veſtrate Bonifacio, qui & Theſſaliæ Rex, & Cretæ Inſulæ. Trophæum eſt veſtrum (habet ſtupens Natura) quòd Obitius, tuæ gentis, Princeps, ac tui nominis iuſtus panegyricus, Berengarium III. (Italiæ Regem dicam, an hoſtem?) affinem ſibi, magis ideo inuiſum, viribus minimè contentus proprijs, ſed totis ex Germania Cæſarianis accitis oppreſſit perpetuo damnatum oſtraciſmo: vſq; eò natiuum Malaſpinijs fuit vindicare iuſtitiam, quæ publicæ felicitatis eſt pabulum, vt ad vlciſcendos perduellionis reos nexus ipſe ſanguinis maiores capitalis iræ flammas accenderet. Nullum verò habui (ſubijcit Europa) ſpectaculum dignius Malaſpinijs, quàm cùm alter Obitius, nec ab altero quidem alius, ille Friderici I. Cæſaris gratia nulli Chriſtianorum procerum ſecundus, pòſt odio non ambiguè primus, pro tuendis Chriſti Dei partibus, atq; eius ſanctiſſimi Vicarij Alexandri ſtetit in eum Caput coniuratorum Principum, Imperatorq; hoſtilium copiarum, à quo ſteterat periculoſiſſimis in bellis, difficillimiſq; Imperij temporibus ope atq; opera infatigatus, nihilo minus acer in ſcelus, quàm alacer in officio. Diſſimula tu, Princeps, ſi potes, has voces. Obſurdeſce ad iſtæc decantata tuorum encomia, quæ humani generis aures impleuere, vt iam nec ſilere poſteritas, nec obterere iniuria temporum poſſit. Inſeres tamen, licebit, pro tuo ingenio flores patrio ſtipiti, ne exhauſta

Cognomento Longaſpada.

vigore natiuo ſoboles patre efflorescente videatur. Inſeres autem Reginam Roſam, vt purpuram iſtam literariam, olim quoque politicam, tibi te, non Maiores commeruiſſe teſteris. Adiunges tua ipſe decora gentilitijs, qui opes dedignaris alienas, diues tuis. Cumulabis auitos fulgores proprijs, vt illos non tàm illuſtriores reddas, quàm obſcures illuſtriùs. Exquiret Artis fœdera impar tibi ſuis donis Natura, inops opibus. Horrebit nobilitatis flos antiquiſſimæ ita tu Nepos amoenè vernabis, Syluaticus quidem tibi, nobis ad omnes excultus delicias. Verùm & in iſtoc horrore ſyluatico inſtructum reperies barbarico apparatu triumphũ, quo te vel inuitum deducent Principales Orbis terrarum familiæ cum tua conſanguinitatis iure coniunctæ. Deducent Auſtriæ Marchiones, & Finalis Carretti. Deducent Duces Taurinenſes, Bauari, Saxoni, Burgundi, Palatini. Deducent Reges Italiæ, Angliæ, Neapolis, Siciliæ, Sardiniæ, Galliæ, Hiſpaniarum. Deducent Cæſares ab vtroque Sole, Iuſtiniani, Henrici, Othones, Lotarij, Friderici, Alexij, Emmanueles, Andronici. Nec deerunt ex Roma vetere Octauij, qui, vt in Martios tuos Equeſtres ſimul cum affinitate, atq; adoptione fortunas contulerunt; ſic tibi fortunarum negligenti Nepoti magnanimo Auguſtos ſuos omnium gentium illuſtres triumphis tributarios deuoti ſubmittent. Viden', vt fugientem vmbra inſequitur? Vmbra certè tuum ad genium: quippe, quam æſtimat vulgus lucem in Atauis, ſapientior tu vmbram: qua tamen in vmbra viuidiùs præcocis tuæ virtutis lumina exprimantur: exeratur prælucens annis ſenſus pietatis in Deum, in Principem: proferatur

ferat ur

feratur ludibunda in ætate ſenilis grauitas: obſeruantia legum religioſa obſeruetur: modeſtia in omnes præter exemplũ, & caſtimoniæ Achates pudor eniteſcat: emineat puſillo in pectore Magnanimitas: & (quod inſolens in humanis) Maieſtas cum Gratijs in ore, in geſtu foederata explicet pompam. Quare Age Malaſpinie Princeps: perge omen implere. His artibus comparabis lemniſcos, his ditabis lemniſcis palmas, his triumphum palmis adornabis Victor immortalis gentilium tuorum maior Maioribus ipſis, Principum Princeps noſtri Ordinis, INFOECVNDIS ſeges gloriæ inexhauſta, triumphator nobilis cùm impuberis ætatis tuæ, tùm noſtræ infantis Eloquentiæ, quæ communes inter acclamationes, & plauſus obſequium ſilentij ſibi conſultius, tibi iuſtius futurum intelligit.

D I X I.

7
1147.26

99 962414

ALLEGRI
LABORAT
RESTAURO
LIBRI
PARMA